

Band VIII., Nr. 3336, Seite 450-451

*Dieter von Wunnenstein und seine Frau Mechthild schenken dem Kloster
Adelberg Güter in Jettenbach.*

Heilbronn, 1284. April 18.

Noverint universi presentes litteras inspecturi, quod Dietherus de Wnnestain et Mahtildis legitima eius uxor cives in Hailprunne honorandis in Christo viris . . . preposito et conventui monasterii in Madelberc ordinis Premonstratensis Constantiensis diocesis infrascripta bona sita in Gettembach cum eorum utilitatibus et proventibus universis estimatis ad redditus sex librarum Hallensis monete annis singulis provenientium donaverunt et tradiderunt pleno iure in recompensam eorum bonorum, que Judinta bone memorie memorati Dietheri socrus legavit monasterio in Madelberc per eundem Dietherum occupata et distracta, item in recompensam sive restaurationem dampnorum, que dicti prepositus et conventus ab eo incendiis vel aliis quibuscumque modis hucusque pertulisse dicuntur, item pro animarum suarum remedio, hoc tamen adiecto, quod postquam supradicti prepositus et conventus a die donationis huiusmodi, scilicet feria tertia post Quasimodogeniti proxima, bona eadem possidebunt vel quis eorum nomine usque ad octavam pentecostes proxime subsequentem, sepe dictus Dietherus pro tempore vite sue tantum ipsa cum eorum utilitatibus pro certa pensione seu quantitate habeat, videlicet quod preposito et conventui supradictis de eis persolvat annis singulis unam libram denariorum Hallensium, et post mortem ipsius sepedictis preposito et conventui eorumque monasterio libera perpetuo remanebunt et pacifice possidenda. Insuper si prefatus Dietherus ante mortem suam aliquam religionem intrare voluerit, ipsa bona erunt libera penitus preposito et conventui antedictis, ita tamen quod ipsi quinque libras Hallensium annuatim persolvant tantum, quoad ipse vitam habuerit, illi cui eas decreverit assignandas atque eo defuncto ab ipsorum solutione cessabunt. Item si intrans religionem solutionem illarum quinque librarum nulli duxerit deputandam, ab ea facienda erunt liberi et immunes. Ceterum quia bona prefata Mahtildi ipsius coniugi prelibate extiterant assignata in dotem, que morgengabe vulgariter appellatur, cum eo quod ipsi donationi sponte non coacta consensit, Mahtildis eadem corporale prestitit iuramentum, quod bona ipsa non repetat neque super eis inquietet ac perturbet monasterium in Madelberc prenotatum. Preterea prepositus et conventus sepe sepius nominati pure renuntiaverunt omni actioni sive impetitioni eis competenti contra supradictum Dietherum tam super dampnis ac incendiis eis factis quam etiam super bonis, que socrus sua

II

ipsis dicebatur legasse. Bona vero de quibus supra tactum est sita in Gettembach sunt hec: primum est molendinum situm ibidem, quod per se stat et singulare debitum solvit, item de alio feodo idem molendinator singulare debitum persolvit, item alius colonus dictus Johannes, item alius colonus dictus Cūnz Bozze, item alius colonus dictus Benzo, hii omnes possident eadem bona monasterio de Madelberc deputata et legata in eadem villula, quorum redditus in unum computati in frumento in denaris in caseis et in pullis fiunt sex libre, quas idem monasterium post mortem dicti Dietheri integraliter ac liberaliter percipere debet. Insuper cum huiusmodi donatio et predicta sint facta coram iuratis civitatis in Hailprunne et de consensu Hainrici militis de Nipperc et nobilis viri Ūlrici de Sternvelse, presentes littere hiis sigillis, scilicet civium in Hailprunne ac Hainrici de Nipperc et Ūlrici de Sternvelse predictorum nec non prepositi et conventus de Madelberc ipsiusque Dietheri sunt munite. Testes autem qui hiis interfuerunt hii sunt: Fridricus de Tizembach miles, dominus Gebzo monachus de Lorche, magister Hainricus canonicus ecclesie secularis in Lorche, Hartmūdus Rotegalle, Hainricus Lorcher, Hainricus de Gamundia, Gerhardus, Hainricus Strulle, Hermannus Smierer, Hainricus Wibiche, Wolframms dictus Cappelán cives in Hailprunne et quam plures alii fide digni.

Actum et datum apud Hailprunne, anno domini MCCLXXX quarto, feria tertia post Quasimodogeniti proxima.

—

Nach dem Original.

6 teilweise stark beschädigte Siegel 1) der Stadt Heilbronn, vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 2170, (WUB, Bd. VII, S. 10). 2) schildförmig, c. 48, c. 38 mm., auf einem staffelförmigen Felsen ein 7strahliger Stern; Umschrift: . . . BILI . . . STERE . . . 3) schildförmig, 40 c. 27 mm., 3 Ringe, 2 : 1 gestellt; Umschrift: + . S . HEINRICI . DE . NIBERC . 4) spitzoval, c. 55, c. 32 mm., ein stehender Mönch mit Buch; Umschrift: + . SIGIL . P . . . TI . . . ELBERC . 5) spitzoval, c. 60, c. 38 mm., ein stehender Heiliger (St. Norbert?) mit Stab und Buch; Umschrift: + . S . . C . . . ENTVS . IN . AD . . . 6) des Ausstellers, vgl. die Siegelbeschreibung zu Urkunde Nr. 3294 (WUB, Bd. VIII, S. 427).

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 469 I U 41

Regesten:

Müller: Urkundenregesten Adelberg, Nr. 41. UB Heilbronn, Bd. 1, S. 14, Nr. 38.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Heilbronn

Ortsindex:

Adelberg - Kloster Wohnplatz (561)

Adelberg - Kloster, Adelberg, GP

Bad Ditzenbach Wohnplatz (574)

Bad Ditzenbach, GP

Heilbronn Wohnplatz (1773)

Heilbronn, HN

Jettenbach Wohnplatz (1862)

Jettenbach, Beilstein, HN

Kloster Lorch Wohnplatz (4658)

Kloster Lorch, Lorch, AA

Konstanz Wohnplatz (14442)

Konstanz, KN

Schloss Neipperg : Neipperg, Brackenheim HN

Schloss Neipperg Wohnplatz (1884)

Schwäbisch Gmünd Wohnplatz (4879)

IV

Schwäbisch Gmünd, AA

Sternenfels Wohnplatz (7106)

Sternenfels, PF

Winzerhausen : Großbottwar LB

Winzerhausen Wohnplatz (984)